

Humanistisches.

Mit dieser Arbeit setze ich die Herausgabe meiner Funde auf dem Gebiete des italienischen Humanismus fort. Bisher erschienen: Apologium Bartholomaei Scalae im Jahresberichte des Staatsgymnasiums im XVII. Bezirke Wiens (1896); Acht Inauguralreden des Veronesers Guarino und seines Sohnes Battista, Eine Rede des Joannes Laskaris, Petri Pauli Vergerii Paulus, comoedia ad iuvenum mores corrigendos, Antonii Raudensis epistulae tres, Beiträge zur humanistischen Übersetzungsliteratur, enthaltend die Rede des Isokrates an Demonikos, Theophrasts Charaktere und Xenophons Reiteroberst in der Übersetzung von Lapo da Castiglionchio und die von Guarino übersetzte Rede des Isokrates an Nikokles (in den Wiener Studien Bd. XVIII (1897) bis XXV (1903); Reden und Briefe italienischer Humanisten (Wien, 1899), ein mit Unterstützung der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften in Wien veröffentlichter Beitrag zur Geschichte der Pädagogik des Humanismus¹⁾; Laurentii Lippii opuscula tria im Jahresberichte des Staatsgymnasiums von Wr.-Neustadt (1901).

Nr. I enthält die Übersetzung der Rede des Isokrates πρὸς Δημόνιον von Niccolo Sagundino. Dieser kam 1438 mit einer zahlreichen Familie von Negroponte (Euboea, weshalb er auch Euboicus genannt wird) nach Italien, wo er wegen seiner Sprachkenntnisse auf dem Konzil zu Florenz als Dolmetsch und in Venedig als Sekretär der Republik Verwendung fand. Er war auch eine Zeit lang bei Alfons von Neapel, dem er seine zu Basel 1558 gedruckte Übersetzung Onosanders widmete. Andere Werke dieses Griechen, der das Lateinische wie seine Muttersprache beherrschte, blieben ungedruckt. Die Übersetzung der Rede an Demonikos fand ich in Rom im Cod. Corsin. 127, Fol. 91^b — 95^b. Vorausgeht auf Fol. 85^a — 86^a, worauf Fol. 86^b — 91^a die Übersetzung der Rede des Isokrates an Nikokles folgt, nachstehendes Prooemium Nicolai Segundini, episcopi Modru-siensiis:

„Cum superioribus diebus ab oratoribus tuis, viris quidem egregiis tuaque familiaritate dignissimis, mihi autem singulari benevolentia coniunctissimis, multa tuae indolis praeclara facinora didicissem, quaecumque digna adhuc iuvenis principatus tui ieceris fundamenta quantoque clariora pubescens tua virtus polliceatur, spem ingentem concepi te vel maximis principibus parem evasurum, si quidem huic tuae innatae probitati cultus disciplinae accederet naturaeque tuae felix solum si liberali eruditionis sarculo diligentius excoli contingeret. Germina enim quamvis egregia si absque artis castigatione adoleverint,

¹⁾ Enthält Reden von Joh. Argyropulos, Gasp. Barzizza, Phil. Beroaldo, Andr. Biglia, Andr. Brenta, Lud. Carbone, Andr. Hugo da Siena, Andr. Giuliano, Christoph. Landini, Lapo Castiglionchio, Ognibene da Lonigo, Pier Perleone, Franc. Filelfo, Sicc. Polentone, Ant. da Rho, Greg. Tifernas, Joh. Toscanella und Briefe von Franc. Barbaro, Dom. Calderino, Franc. da Castiglione, Guarino, Joh. Lamola, Lapo da Castiglionchio, Ognibene da Lonigo, Thom. Occ. Pontano, Ag. Valiero. Vgl. DLZ. Nr. 52 (1899), 1949 f.

semper quod ea minus deceat secum emittunt ac nimium lascivendo in ipsis conatibus deficiunt. Sic oleae, sic vites, sic segetes absque agricolae manu luxuriari solent et expectatos fructus foliis inutilibus permutare. Sane quae falcem patiuntur artificem, iocundiora aspectui usuique gratiora redduntur et aurum gemmaeque omnis quamvis suapte natura nobilis nascatur, arte tamen multo redditur nobilior, venustior, dignior, clarior ac pretiosior. Praetereo canes, equos, aves ceteraque animantia, quibus quidem disciplina tantum incrementi apponere solet, ut nonnumquam de rationis usu cum hominibus contendere videantur. Quibus ex rebus perspicuum esse potest, quanto studio universis mortalibus eruditio sit requirenda amplectendaque. Si enim disciplinae institutio brutis insensatisque rebus tantum affert et utilitatis et ornamenti, quanto magis hominibus, quos ipsa natura disciplinae praecipue finxit capaces mentemque ipsis ultra cetera viventia inspiravit, quo facilius id munus et obire et exequi valerent! Cuius studium etsi omnes mortales tenere debeat, qui sese nolunt brutorum in numero computari, praecipue tamen illos, qui aliis praesunt vel dominantur. Absurdum est enim maximeque indecorum insipientes sapientibus imprudentioresque prudentioribus imperare. Nonne merito rideres, si caecum conspiceres ducem esse videntis aut civibus rusticum iura rei publicae constituere? Haud minus profecto ridiculum ineptumque est lora rei publicae in manibus imprudentis gubernatoris conspicari. Recte quidem universi faciunt principes, qui negotia sua, quae probe curari volunt, sapientioribus committunt; sed multo facerent rectius, si quod ab aliis desiderant, sibi compararent atque id darent operam, quo illis, quibus fortuna eos praetulit, et natura invenirentur superiores. Imprudens enim ac imperitus philosophi testimonio natura est servus prudentis atque periti. Indignum igitur se principatu indicat, qui contemnit disciplinam, suamque ipse inscitiam condemnat, dum operam expetit eruditorum, quorum studium vel sprexit vel neglexit. Quod quidem rex ille Macedonum illa in epistola¹⁾, quam nato sibi filio Alexandro ad Aristotelem scripsit, optime se intellexisse declaravit dicens sese diis testibus non adeo laetari, quod filium susceperit, quantum quod eum nasci eo tempore contigerit, quo possit abs tam praeclaro philosopho optimis imbui disciplinis. Quibus nimirum et ita ab eo institutus est, ut ipse postea Alexander et litteris suis et sermonibus saepius fateretur pluris doctrinam facere, quam Aristotele tradente consecutus fuerat, quam totius orbis imperium²⁾; quando quidem tanto praestabilius est homines sapientia potius vincere quam fortitudine, quanto praestantius cetera animantia ab hominibus ipsa sapientia vincuntur. Et quidem quid potest esse vel optabilius vel divinius quam eo homines superare, quo ipsi reliqua superant viventia? Porro ad hanc eruditionis honestatem maximae accedunt egregiaeque utilitates dominantibus haud minus necessariae quam oportunae. Hinc namque saluberrima securissimaque capiuntur consilia, hinc certae sententiae iustaque proferuntur iudicia, hinc sanctissima depromuntur decreta, hinc omnis publica privataque hauritur institutio. Atque ut haec ita sese habere cognoscas, audi paulisper ipsammet sapientiam eadem et suadentem et pollicentem: „Accipite“, inquit³⁾, „disciplinam et non pecuniam, doctrinam magis quam aurum eligit; melior enim est sapientia cunctis opibus pretiosissimis et omne desiderabile nequit ei comparari. Ego sapientia in consilio habito et eruditus intersum cogitationibus. Timor domini odit malum; arrogantiam, superbiam, viam pravam et os bilingue ego detestor. Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia et fortitudo. Per me reges regnant et legum conditores iusta decernunt; per me principes imperant et potentes diiudicant iustitiam. Ego diligentes me diligo et, qui mane ad me vigilant, me inveniunt. Mecum sunt divitiae et gloria, opes superbae et iustitia. Melior est fructus meus auro et lapide pretioso et genimina mea argento electo. In viis iustitiae ambulo et in medio semitarum iudicii, ut ditem diligentes me et thesauros eorum repleam“. Quae cum ita sint, ego te ad has tot tantasque opes capessendas hortari volui tua egregia indole et delectatus et fretus. Atque quo facilius huiusmodi potiaris opibus, non meis te praeceptionibus instituere volui, sed potius Isocratis, viri quidem sapientissimi eloquentissimique, qui iam olim morte dentes invidorum effugit et temporis vetustate dictorumque suorum prudenti ac venusto sensu insignem sibi auctoritatem vendicavit, praeterea autem quoniam peregrinae opes, tametsi domesticis nonnunquam tenuiores, maioribus tamen in deliciis habentur. Is Graecus natione fuit, haud minus inter rhetores quam philosophos clarus. Complura et sapientiae et eloquentiae suae insignia monumenta reliquit, inter cetera regiam vitae institutionem ad

¹⁾ Gell. IX 3. — ²⁾ Plut. Alex. 7. — ³⁾ Prov. 8, 10 ff.

Nicolem, Siciliae¹⁾ regem, quam nos Latinam fecimus. Nudas purasque ipsius sententias nudis purisque verbis expressimus, ne nativam earum ingenuitatem fuco nostro violaremus. Tuae autem humanitatis erit nostrum hoc munus benigne acceptare, probitatis vero et e re tua et ex sententia nostra digne illo uti.“

Der Verfasser dieser Widmung ist zweifellos identisch mit unserem Griechen, der ja auch *Secundinus* genannt wird. Den Titel „Bischof von Modrus“ (in Kroatien) dürfte er von dem Papste Nikolaus V., dessen Sekretär er gewesen ist, erhalten haben. Einen wirklichen Bischof von Modrus gleichen Namens gab es nicht. Der junge Fürst aber, dem die Übersetzung gewidmet ist, war offenbar Alfons von Neapel, der 1416 in einem Alter von 15 Jahren den Thron bestieg, 1458 starb und als Gönner der Humanisten sich große Verdienste um die klassischen Studien erwarb. Vielleicht dürfte Sagundino noch vor 1438 bei Alfons vorgeschrieben und durch Überreichung seiner Arbeit eine Beschäftigung oder Unterstützung angestrebt haben. Zu einer näheren Angabe der Zeit, wann die Übersetzung entstanden ist, fehlen uns sichere Daten. Sie ist (oft nur zu) wortgetreu, fast frei von Verstößen, die ihre Erklärung in der fehlerhaften Vorlage des Übersetzers finden, und trotz der ziemlich wörtlichen Anlehnung an das griechische Original nicht ungewandt. Auch von ihr gelten die Schlußworte der angeführten Widmung: „Nudas purasque ipsius sententias nudis purisque verbis expressimus, ne nativam earum ingenuitatem fuco nostro violaremus.“ Näheres über Sagundino bieten Zeno, *Diss. Voss.* I 333 ff. und Voigt, *Die Wiederbelebung des klassischen Altertums* I³ 429, 498 A. 1, II³ 85, 117, 155, 177.

Nr. II bietet eine Auswahl aus den sieben Bücher umfassenden Epigrammen des Florentiners Ugolino Verini, der dem XV. Jahrhundert angehört, Vater des früh verstorbenen Dichters Michael Verinus ist, den berühmten Humanisten Christophorus Landinus hörte, sich als Dichter, Historiker, Philosoph und Theolog auszeichnete, Giovanni Medici, den nachmaligen Papst Leo X., unterrichtete und viele Schriften hinterließ, die teilweise noch ungedruckt sind. Vgl. Negri, *Istoria degli scritt. Fior.* S. 520 f., Bandini, *Spec. liter. Flor.* I 199 f. und Tiraboschi, *Storia della letterat. Ital.* VI 3, S. 1350.

Der größte Teil der hier mit fortlaufenden Nummern versehenen Epigramme ist aus den vier ersten Büchern genommen — das fünfte und sechste Buch enthält größtenteils Nachrufe auf Verstorbene, während im letzten Buche katholische Feiertage besungen werden — und ihr sittlich-religiöser Inhalt erweist den Dichter als zu jener Richtung des italienischen Humanismus zugehörig, die man mit dem Namen christliche Renaissance bezeichnet. Ihren Charakter kennzeichnen folgende Verse aus der Widmung zum vierten Buche:

Nostra licet veteres non aequent carmina vates,
Moribus at cedit prisca Thalia meis.
Nos sumus electae gentes, nos sacra propago;
Non decet obscoenis scribere sacra modis.
Seripsi more novo nullorum exempla secutus:
Da veniam, haud mirum est, si qua nitore carent.

Ein kleiner Teil der abgedruckten Epigramme ist an berühmte Zeitgenossen: Nesius, Ficinus, Landinus, Demetrius, Gaza, Politianus und Philelphus gerichtet. Sprache und Versbau sind mit Gewandtheit gehandhabt. Nur

¹⁾ Cypri!

hie und da finden wir Eigenheiten des humanistischen Sprachgebrauches — so die freiere Verwendung des Reflexivpronomens für die entsprechenden Formen des Demonstrativpronomens — und prosodische Freiheiten, besonders bei Eigennamen.

Da diese Epigramme dem Könige Matthias Corvinus gewidmet sind, der 1490 starb, ferner der Kodex (40 Bibl. Laur. Plut. 39, Fol. 1—82), in dem sie enthalten sind, 1488 geschrieben ist und endlich Filelfo als gestorben (1481) besungen wird, so fällt ihre Abfassungszeit ungefähr um das Jahr 1485.

So übergebe ich denn die beiden Stücke als neuen Beitrag zur Kenntnis der humanistischen Bestrebungen der Öffentlichkeit. Dem jungen Leser empfehle ich Lektüre und Beherzigung der im Anhang von mir übersetzten Stellen aus der Spruchrede des Isokrates an Demonikos.

Wiener-Neustadt, im Juli 1903.

Dr. Karl Müllner.

I.

Isocratis oratio ad Demonicum a Nicolao Sagundino in Latinum conversa.

Multis in rebus, Demonice, multum distantes inveniēmus¹⁾ studiosorum sententias ac pravorum cogitationes, praecipue autem maximam suis in consuetudinibus differentiam acceperunt; hi enim tantum praesentes venerantur amicos, illi autem etiam longe absentes diligunt et pravorum consuetudines exiguum tempus dissolvit, studiosiorum²⁾ vero amicitias neque universum
2 aevum abolere potest. Unde ego existimans eos, qui gloriam expetunt et disciplinam sibi vendicant, decere studiosorum et non pravorum esse imitatores, dono tibi mihi hunc sermonem, coniecturam quidem meae erga te amicitiae, signum autem eius consuetudinis, quae mihi cum Hipponico fuit; decet enim
3 filios quemadmodum paternae substantiae, ita et amicitiae esse heredes. Cerno autem ad haec et fortunam nobis suffragari et praesens tempus haud ignavam operam navare; tu enim disciplinam expetis, ego autem alios docere nitor, et tu quidem iam philosopharis, ego vero philosophantes corrigo. Sane quicumque ad amicos suos adhortativos conscribunt sermones, bonum quidem
4 opus moliuntur, verum haud optimam philosophiae exercent partem. Quicumque vero iuniores admonent non eorum, per quae facultatem ad exercitationem dicendi assequuntur, sed quo pacto bonorum morum studiosi esse inveniuntur³⁾, tanto magis⁴⁾ suis auditoribus prosunt, quantum illi quidem tantum suos ad sermones excitant, hi vero ad egregios mores adhortantur.
5 Idcirco et nos utilitati tibi futuros existimavimus, si tibi conscriberemus non quidem inventionem aliquam ad dicendi exercitationem, sed potius admonitionem eiusmodi, qua cognosceres, quae te affectare oporteat et a quibus abstinere quibusve cum hominibus conversari et quo modo te deceat instituere

¹⁾ εὐρησόμεν; invenimus K o d. — ²⁾ So übersetzt S. durchgehends σπουδαίος. — ³⁾ inveniatis K o d. — ⁴⁾ ἐκείνων fehlt.

vitam; quicumque enim hanc viam vitae ingressi sunt, hi soli virtutem proprie attingere potuerunt, cuius possessione nihil est honestius neque stabilius. Siquidem pulcritudinem aut tempus consumit aut aegritudo tabefacit, divitiae 6 vero magis vitii quam probitatis ministrae sunt; licentiam enim negligentiae sufficiunt, iuvenum autem animos excitant ad voluptates. Sane robor cum prudentia prodest, absque ea vero possidentibus maiori est nocumento, quamquevis exercentium corpora adornet, animum tamen in meditationibus reddit obscurum. Cum illis enim, in quorum animo castae cogitationes capiunt in- 7 crementum, virtutis possessio sola consenescit, divitiis quidem praestantior, honorabilior ac generosior, et quae aliis impossibilia factu videntur, possibilia reddit, ac quae multitudini timenda videntur, confidenter sustinet, segnitiam quoque vituperium, laborem vero laudem ducit. Atque id ita esse facile 8 discere possumus ex Herculis certaminibus Theseique operibus, quorum operibus morum virtus tantum gloriae titulum apposuit, ut numquam ullo tempore deleri possit.

Enimvero et eorum si fueris memor, quae pater tuus sibi delegerat, 9 proprium et pulcherrimum habebis exemplum eorum, quae a me dicuntur. Ipse enim non spernendo aut negligendo virtutem vitam transegit, verum corpus quidem laboribus exercebat, animo autem egregia pericula subibat. Neque divitias inopportune amabat, sed praesentibus bonis fruebatur tamquam mortalis; curabat autem, quae habebat, tamquam immortalis. Neque humiliter 10 vitam suam gubernabat, sed erat honestatis amator, animo magnificus et amicis communis, magis vero admirabatur sui studiosos quam eos, qui se genere contingebant; putabat enim ad societatem praestantiorem esse naturam quam legem et mores quam genus et electionem quam necessitatem. Deficeret 11 nos universum tempus, si cuncta ipsius bene gesta enumerare vellemus, sed ea quidem exactius aliis temporibus explicabimus. Nunc vero satis sit, si praeclearam naturae illius ederem imaginem, ad quam te tamquam ad singulare quoddam exemplum oportet vivere, si quidem mores ipsius legem debes existimare atque te imitatore aemulumque paternarum praestare virtutum, quando quidem turpe est pictores pulchriora sequi¹⁾ animantia, filios vero studiosos non imitari parentes. Itaque existima certatorum nemini ita con- 12 venire oculos in suum concertatorem intendere quemadmodum tibi in paternas exercitationes, ut dignus earum aemulus efficiaris. Ad quod animus disponi minime potest nisi multis et optimis adimpletis doctrinis, si quidem corpus nostris²⁾ laboribus, animus vero studiosis aliorum sermonibus suscipit incrementum. Iccirco te breviter submonere conabor ad ea capessenda, quae si exercueris, te plurimum et ad virtutem pervehent et apud omnes homines reddent probum.

Primum igitur esto pius erga deos non solum in sacrificando, sed etiam 13 in iusiurandis³⁾ permanendo; illud enim rerum abundantiae signum est, hoc vero morum probitatis certum indicium. Venerare⁴⁾ deum cum semper tum maxime cum civibus; sic enim et diis una sacrificare et legibus obtemperare videberis. Talis esto erga parentes, quales erga te optares tuos filios futuros. 14 Exerce corpus non his exercitationibus⁵⁾, quae robori, sed sanitati conferunt. Assecutus⁶⁾ vero labores ita ipsos absolve, ut rursus laborare queas. Neque 15 audacibus ridiculis delectare neque temerarios sermones accepta; illud enim dementis, hoc vero insani est. Quae facere turpe est, ea et dicere inhonestum

¹⁾ Ungenau: ἀπεικάζειν. — ²⁾ S. las offenbar ἡμετέροις statt συμμέτροις. — ³⁾ Sic! — ⁴⁾ Die Worte venerare bis videberis fehlen im Kod. — ⁵⁾ Fehlt im Kod. — ⁶⁾ S. las offenbar επιτυχῶν λήγαις.

puta. Compara te ipsum non quidem severum, sed cogitabundum; ob illud enim superbus, ob hoc autem habebis prudens. Puta te maxime haec ornamenta decere: verecundiam, iustitiam atque prudentiam; his enim omnibus
 16 iuniorum mores stabiliri existima. Numquam quicquam turpe committas sperans illud latere; etsi enim alios latuerit, tibi tamen ipsi conscius eris. Deum time, parentes honora, venerare amicos, legibus pare. Venare voluptates, quae cum gloria sunt; delectatio enim cum honestate quidem optimum est, absque ea
 17 vero pessimum. Cave calumnias, tametsi falsae sint, si quidem multi veritatem cognoscunt¹⁾, sed tamen gloriam respiciunt²⁾. Cuncta facere puta, tamquam lateas neminem; nam si nunc occultaveris, postea apparebunt. Maxime autem probus videberis, si talia non egeris, quae si alios patrare cerneres, incre-
 18 pares. Si doceri delectaberis, multa discere poteris. Quae didicisti, crebris meditationibus conserva, quae vero non didicisti, discendo conquire; aequae enim turpe est audientem utiles sermones non discere atque datum aliquid bonum ab amico non acceptare. Quicquid otii in tua vita nactus fueris, id universum audiendo doctos sermones consume; sic enim fiet, ut quae ab aliis
 19 difficulter inventa sunt, tu facile consequaris. Puta piosque sermones multis divitiis esse praestantiores; hae enim cito depereunt, illi vero semper perseverant et ex omnibus mortalium bonis sola sapientia immortalis est. Haud negligas vel longum emetiri iter ad eos, qui aliquid utile docere profitentur; turpe est enim mercatores tot pertransire maria, ut amplio-
 20 rem suam faciant substantiam, iuvenes vero neque terrestria pati itinera, ut vitam suam meliorem reddant. Esto moribus salutationis amator, sermone autem bonus saluator; est autem salutationis amatoris, quoscumque obvios habuerit, salutare, boni autem saluatoris familiariter eos alloqui. Comem te omnibus praesta, melioribus vero uterè; sic enim illis non inimicus eris, his vero amicus efficiaris. Allocations cum eisdem neque crebras facias neque eadem de re longas; omnium
 21 enim satietas est. Exerce te laboribus voluntariis, ut involuntarios ferre queas. Quibus animum vinci turpe est, in his omnibus continentiam exerce: lucro, ira, voluptate, dolore. Talis autem eris, si ea lucranda putaveris, per quae probus videberis, non abundans, et si irasceris aliis delinquentibus quemadmodum et tibi peccanti, si in delectationibus turpe duxeris eos, qui servis dominantur, voluptatibus servire, in tristitiis autem, si aliorum infortunia
 22 respiciens te ipsum hominem esse fueris recordatus. Diligentius conserva sermonum deposita quam pecuniarum; oportet enim virum bonum mores praestare quovis iureiurando fideiorem. Convenire puta semper malis diffidere, quemadmodum fidere bonis. De arcanis nemini quicquam dixeris, nisi similiter non
 23 conferat aliqua tacere et tibi dicenti et illis, qui te audiunt. Allatum iusiurandum accipe duabus de causis, vel ut te ab aliqua turpi causa absolvas vel ut periclitanti amico salutem feras. Propter pecunias autem nequaquam iuraveris per deum neque etiam, si recte sis iuraturus; nam aliis peierare, aliis pecuniarum avidus esse videberis.

24 Neminem amicum facias prius, quam satis exploratum habueris, qualis erga alios fuerit amicus; neque enim sperare debes alium erga te futurum, ac erga illos fuerit. Tarde efficiaris amicus, effectus vero enitere permanere; aequae enim turpe est nullum habere amicum et eos saepius permutare. Noli cum nocumento experiri amicos neque eos inexpertos habere; id
 25 autem efficies, si non indigus feceris, sed indigere te assimilaveris et³⁾ de dicendis tamquam de arcanis communicaveris, si quidem non consecutus nullum nocumentum patieris, consecutus vero tanto magis mores ipsorum

¹⁾ S. las offenbar nicht ἀποδοῦσι. — ²⁾ Ungenau. — ³⁾ S. zieht die beiden Sätze zusammen.

cognosces. Experire amicos in vitae infortuniis et communibus periculis; aurum quippe in igne et amici in infortuniis cognoscuntur. Sic autem optime uteris amicis, si ab ipsis laborantibus orari non exspectaveris, sed ultro eis tempestivam tuleris opem. Aequè turpe existima ab inimicis vinci maleficiis 26 atque ab amicis beneficiis. Illos amicos accepta, qui non solum in malis compatiuntur, sed etiam qui non invident in bonis; multi namque infortunatis compatiuntur, felicibus autem invident. Apud praesentes amicos absentium recordare, ut videaris neque absentes flocci pendere. Esse velis in vestimentis honesta- 27 tis amator, non ornator; est enim honestatis amatoris magnificentia, superfluitas vero ornatoris. Dilige tuorum bonorum non superfluam possessionem, sed temperatam fruitionem. Contemne divitiarum studiosos, qui iis; quae habent, uti nequeunt; tales enim simile quid patiuntur atque illi, qui bonum equum possident, equitare autem minime norunt. Enitere divitias et pecunias facere et possessiones; 28 sunt autem possessiones his, qui frui sciunt, pecuniae autem, qui uti queunt. Dilige praesentem substantiam ob duo, unum, ut magnum debitum persolvas, aliud, ut studioso et infortunato amico opem feras; ob aliam vero vitam non nimium, sed mediocriter eas affecta. Conserva praesentia, quae tibi sunt bona, 29 quaere autem meliora. Calamitatem exprobraveris nemini; fortuna enim communis est et futurum incertum. Bene fac bonis; optimus enim thesaurus est apud studiosum virum debita gratia. Si malis bene feceris, simile quid patieris quod illi, qui alienos nutriunt canes, quippe qui aequè adversus dantes ut adversus quosvis alios latrant; itidem et mali similiter iniuriis afficiunt eos, qui sibi profuerunt, et illos, qui nocuerunt. Oderis¹⁾ assentatores ut 30 fraudatores; utrique enim fide habita credulos offendunt. Si acceptaveris amicos de frivolis gratulantes, non habebis in vita de optimis inimicos. Cum his, qui te adeunt, esto comis, non severus, quando quidem superbiorum tumorem vix etiam servi tolerant, comium vero mores suaviter omnes ferunt. Comis autem eris, si non eris difficilis, morosus, contentiosus adversus omnes 31 neque singulis ad te accedentibus iratis confestim²⁾ irascaris, etsi iniuste irati sunt, sed cede furentibus, cum vero irasci desierint, eos obiurga. Ne sis in iocis serius neque in serious iocosus; ubique enim intempestivum molestum est. Gratias ne ingrato³⁾ conferas, quod multi patiuntur; faciunt enim, sed insuaviter ministrant. Ne sis querulus de amicis, grave namque est, neque reprehensor, quoniam irritator eris. Maxime autem cave conventicula 32 computationum et, si quando in ea incideris, ante consurgas, quam mens ebrietate corrumpatur; talia namque patieris qualia et currus, qui aurigam excussit, quippe qui inordinate fertur ob directionis defectum: perinde et animus mente corrupta⁴⁾ plurimum oberrat. Si magnanimus esse vis, immortalia sapias, mortalibus vero, quae tibi sunt, temperate fruire. Existima 33 disciplinam tanto maius bonum esse quam ruditatem, quantum cuncti ex aliis flagitiis, quae faciunt, lucri aliquid referre videntur, haec autem sola eos, qui ipsam habent, damno adauget; hi namque plerosque sermone aliquo contristaverunt, ipsi vero operibus dederunt poenas. Quos tibi cupis comparare amicos, boni aliquid de iis dicas apud illos, qui id ipsis referant; initium enim amicitiae laus est, inimicitiae vero vituperatio.

Consilium capiens comparisonem facito praeteritorum ad futura; 34 occulta enim ex manifestis citissime dignoscuntur. Delibera tarde, sed quae deliberaveris, confestim exequere. Existima optimum esse bonam fortunam habere a deo, a nobis autem bonum consilium. De illis, quae te puduerit

¹⁾ Die Worte oderis bis offendunt fehlen im Kod. — ²⁾ S. las offenbar ταχέως statt τραχέως. — ³⁾ S. las ἀχαρίστω statt ἀχαρίστος. — ⁴⁾ corruptus K o d.

dicere, et tamen si volueris amicorum alicui communicare, utere sermonibus tamquam de alieno negotio; sic enim et ipsorum sententiam cognosces et te
35 ipsum non propalabis. Cum autem volueris quempiam consulere, scrutare prius, quonam pacto se ipsum regat, si quidem, qui male populiis consulit rebus, nequaquam bene poterit consulere alienis. Maxime vero ad quaerenda aliorum consilia excitaberis, si calamitates respexeris, quae inconsulte agentibus acciderunt; nam et sanitatis tunc plurimam habemus curam, cum
36 nobis dolores, qui ex aegritudine accidunt, veniunt in mentem. Imitare regum mores et eorum exercitia sectare; videberis enim ipsos acceptare ac aemulari, qua ex re accidet tibi, ut et apud multitudinem probus videaris et stabiliorem apud ipsos benevolentiam consequaris. Pareas quoque legibus, quae ab ipsis positae sunt, validissimam autem legem mores eorum existima; etenim veluti in populari statu degenti opus est multitudinem placare, itidem et sub uno
37 habitantem principe oportet regem admirari. In principatu autem constitutus pravo ministro ne utaris; quicquid enim ipse deliquerit, eius causa in te referetur. A publicis autem curis discedas non ditior, sed gloriosior; multis namque pecuniis praestantior est apud multitudinem laus. Nulli malo operi neque faveas neque assistas; videberis enim ipse talia patrare, qualia alios
38 iuveris operantes. Compara te ipsum, ut plus aliis habere queas, contentus tamen esto et aequae habere, ut videaris non inopia, sed aequitate iustitiam affectare. Libentius accepta paupertatem iustam quam divitias iniustas; tanto namque iustitia pecuniis praestantior est, quantum hae quidem solis prosunt viventibus, illa vero gloriam praeparat etiam vita perfunctis et illarum portio etiam pravis est, huius vero nec exiguum quid queunt capere scelerati.
39 Nullum aemuleris iniuste lucrantem, sed potius proba cum iustitia condemnatum; etsi enim iusti nullo alio abundantiores sint quam iniusti, spe tamen
40 studiosa valde excellunt. Sit tibi cura omnium, quae spectant ad vitam, praecipue autem te prudentia exerce; maximum quippe in minimo est mens bona in humano corpore. Enitere corpus laboris, animum vero sapientiae efficere amatorem, ut valeas, quae videbuntur, perficere et scias, quae
41 conferant, praevidere. Quaecumque dicturus es, praemeditare, quando quidem plerisque lingua currit ante mentem.

Existima nihil humanum esse stabile atque ita nec fortunis nimis¹⁾ laetaberis nec infortuniis nimis²⁾ contristaberis²⁾. Constitue tibi duo dicendi tempora, vel quae optime nosti vel quae necesse est loqui. In his solis
42 sermo praestantior silentio est, in aliis vero praestat silere. Gaude bonis, quae tibi contingunt, malis autem mediocriter tristare, in ceteris vero neutram in partem te praebeas manifestum; indecens est enim substantiam in domibus
43 oculere et mente aperta palam incedere. Magis devita vituperium quam periculum; oportet enim pravis timendum esse vitae exitum, sed studiosis ignominiosam vitam. Praecipue autem da operam securam ducere vitam; quod si quando periclitari contigerit, quaere gloriosam, non ignominiosam bello salutem. Mori enim fatum universis destinavit, bene autem mori solis studiosis natura concessit.

44 Ne mireris, si complura dixerim, quae praesenti tuae aetati minus convenire videntur; neque enim et me id latet, ceterum elegi per idem negotium simul et praesentis vitae consilium edocere et futuri temporis admonitionem relinquere. Horum quidem usum facile cognosces, benivole autem consultorem difficulter invenies. Ut igitur cetera ab aliis non quaeras,

¹⁾ Fehlt im Kod. — ²⁾ S. hatte also, wie aus der Stellung dieses Satzes und sonst hervorgeht, eine aus dem Urbinas stammende Vorlage.

sed hinc tamquam ex aerario proferas, putavi oportere nihil eorum relinquere, quae tibi consulere habebam.

Plurimas autem deo gratias habebo, si non erravero opinione, quam 45 de te accepi; aliorum namque plurimos inveniemus quemadmodum et cibis suavissimis, non sanissimis delectari, sic et illis amicis, qui peccantibus accedant, sed non qui admoneant. Te autem puto contrarium his decrevisse coniecturam capiens ex tuo studio, quod in illis habes disciplinis; qui enim sibi optima patrare imperat, hunc decet et alios ad virtutem adhortantes acceptare. Maxime autem excitaberis bona opera affectare, si discas praecipue nos esse natos¹⁾ ad sectandas bonorum operum voluptates; voluptatibus 46 enim, quae segnitie et expletionis oblectatione nascuntur, mox dolores affixi sunt, studioso vero labori, qui circa virtutem est, ac prudenti vitae regimini semper sinceriores et diuturniores delectationes adiiciuntur. Et 47 in illis quidem prius laetamur, deinde contristamur, in his vero post moerores mirificas capimus voluptates. Sane in cunctis operibus non ita principii meminimus, ut finem sentimus, si quidem et complura ad vitam spectantia non propter ipsa opera facimus, sed propter eventus certos laboramus. Animadvertite autem, quoniam contigit pravis quodlibet patrare; 48 tale enim mox, ut coeperunt, vitae suae fundamentum iecerunt, studiosi vero nequeunt virtutem negligere aut multos se increpantes habere. Cuncti namque odio habent non adeo quidem illos, qui delinquant, quantum eos, qui se bonos profitentur, nihil autem dignum tali professione afferunt, et recte quidem. Cum enim solo sermone mentientes reprobemus, nonne tota 49 vita deficientes pravos esse affirmabimus? Merito autem istos reprehendimus non solum tamquam in se peccantes, sed etiam tamquam fortunae proditores, quippe quae eis pecunias, gloriam amicosque praebuit, ipsi autem sese indignos tanta felicitate reddiderunt. Enimvero si dignum est mortalem 50 deorum coniectare sententias, puto ipsos in familiarissimis suis declarasse, ut sese erga pravos haberent homines et studiosos; Iuppiter namque, ut poetae narrant et omnes credunt, Herculem genuit et Tantalum, quorum unum ob virtutem immortalem fecit, alterum vero ob scelera gravissimis cruciatibus affecit. Quibus exemplis utentes opus est virtutem affectare, nec 51 solum in memoria habebis, quae a nobis dicta sunt, sed etiam poetarum discas optima quaeque et aliorum sapientium, si quid dixerunt utile, perlegas diligentius imiterisque apem, quam videmus singulis insidere germinibus et 52 utiliora carpere; sic enim et disciplina affectantes nihil oportet habere inexpertum, sed undecumque utiliora comportare. Vix namque tanta etiam diligentia peccata naturae evincere valebimus.

II.

Ugolini Verini epigrammata selecta.

1. Ad Mathiam, regem Pannoniae.²⁾

Pannoniae rex, certa salus et gloria nostri
Temporis, hos laeta pellege fronte libros.
Qualem te populis redeuntem ostendis ab hoste
Deleto, talis carmina nostra lege.

¹⁾ Las S. γρηστος? — ²⁾ Fol. 1^a.

5 Quando tuos potero felix spectare triumphos,
Victricem tanget tunc mea dextra manum.
Tam longo quamquam spatio me dividat aequor,
Fama tamen montes transvolat et maria,
Suspensoque mihi pendent tua gesta, Mathia,
10 Gesta Sophocleo vix referenda pede.
Tunc me non humilem, princeps, mirabere vatem,
Si tanto norim me placuisse duci.

2. Patientia in adversitate tamquam aurum in fornace
probat¹⁾.

Rebus in adversis patientia vera probatur.
Cuius traiecit pectora sermo dei,
Hic non concutitur, rebus non luget adeptis.
Cui charitas domini est, nil habet ille mali;
5 Haeret quippe deo vinclo mens nexa tenaci.
Ergo quis esse potest cum charitate miser?

3. Qui sequitur praecepta dei, numquam erit infelix, quod
Christus fecit, nos imitari debemus.²⁾

Vis salvus fieri, Crucifixi signa sequaris;
Huius enim castris nemo perire potest.
Si praecepta ducis servaveris omnia, numquam
Hostis fallacis decipere dolis.
5 Victor eris, si nudus eris, audacior ibis,
Quo suadet princeps, quo iubet ire deus.
Auratos currus ussit Pelleius³⁾ heros
Exemplumque sui est turba secuta ducis,
Ut vacuus⁴⁾ gaza Persarum victor ad Indos
10 Curreret, ut minime sarcina tardet iter.
An miles Christi, coeli qui tendit ad arcem,
Divitias secum, tam grave portet onus?
Rex regum, Christus, sine tecto vixit egenus:
Tu Christi cum sis miles, habebis opes?

4. Quod difficile est optare et possidere divitias sine crimine
neque simul deus et divitiae amari possunt.⁵⁾

Esse cupis felix et nullo crimine dives
Et cupis aeterni regna videre dei.
Nil agis, infelix, optas contraria vota:
Vis fieri magna cum gravitate levis!
5 Non geminis opus est, sed pes tibi sufficit unus,
Unica per callem ducit ad astra via.
Angelico effectus Iacob certamine claudus,
Diversum ut vitae nosceret officium.
Quo poteris pacto fieri sine crimine dives?
10 Nec cum divitiis Christus amandus erit.

¹⁾ Fol. 6^a. — ²⁾ Ebd. — ³⁾ So für Pellaeus (Alexander). — ⁴⁾ vacuis K o d. —
⁵⁾ Fol. 6^a.

5. Contra Averroim commentatorem, catholicae fidei impium
hostem.¹⁾

Perfide, quid dixti, intellectus ut unicus omnes
Permeat et Christi carpis, inique, sacra?
Tam dirum unde nefas? Quae te dementia cepit,
Qua demonstrari vis ratione deum,
5 Cum sis finitus, cum sis mortalis, at ille
Incircumscriptus cum sit et omnipotens?
Miraris potuisse deum de virgine nasci?
Quod nostra induerit corpora, monstra putas?
Ut nos a primae purgaret origine labis,
10 Haec delirantis somnia dicis anus?
Qui fecit coelum, qui certos ordine cursus
Distinxit, facere hoc cur potuisse negas?
Perfide, christicolas ludis dicisque loquaces,
Demonstrant fidei quod ratione nihil.
15 Tum quia corpus edant Christi potentque cruorem,
Tigridas immanes Laestrigonasque vocas.
Sentires aliter forsitan, sacra mystica Christi
Depositis tenebris si tibi nota forent.
Inmundis sed quis dabit aurea munera porcis?
20 I procul a Christi religione, canis!

6. De fama, quae est acre telum ad res obeundas.²⁾

Carior argento fama est; qui negligit illam,
Virtutis numquam cura futura sibi est.
Ad res fama acer stimulus perhibetur agendas,
Qua sine ceu pecudes quisque iacebit iners.
5 Quem non fama movet, nequicquam hortabere segnem,
Non hominum in coetu connumerandus erit.

7. Non debemus quaerere longam, sed vitam bonam.³⁾

Qui vitae brevitate dolet, cupit ille laborem
Et procul a portu per mare tendit iter.
Quem deus imposuit, cunctis est finis habendus,
Seu brevis est vitae, seu tibi longa via.
5 Non quantum vivas quaeras et tempora perdas,
Sed bene: Sat longa est, cui bona vita fuit.

8. Contra avarum, quod magis pecuniae quam amicitiae studeat.⁴⁾

Ah quanto melius tibi veros esset amicos
Undique quam magnas quaerere divitias!
Nulli cura minor dulces reperire sodales,
Sed regum magnas continuare domos.
5 Dimidium, mihi crede, tui est iucundus amicus:
Quo pacto poteris parte carere tui?

¹⁾ Fol. 6^b. — ²⁾ Fol. 7^a. — ³⁾ Fol. 7^b. — ⁴⁾ Ebd.

9. Contra infidum, qui fidem fregerat, quae vel hostibus
servari debet.¹⁾

Vincula, crede mihi, prisci maiora Quirites
Porrectae dextrae non habuere fide.
Regulus immanes rediit moriturus ad hostes,
Cui vita fuerat carior alma fides.
5 Non dulces nati et lacrimae tenuere gementis
Coningis et patriae non tenuere preces.
Et nondum coelo Christus descenderat alto
Nec dederat legis foedera sancta deus.
Nos genus electum, nos Christi sacra propago
10 Servemus mira religione fidem.

10. Qui culpam defendit, peccatum congeminat.²⁾

Si culpa defensor eris, geminabitur error,
Impunita solet crescere nequitia.
Repperit improbitas iam nunc quaecunque patronam,
Defensore suo crimina nulla carent.
5 Utilius, mihi crede, bonis sua dona negare est
Quam meritas poenas non posuisse malis.

11. Contra avarum, qui summo labore divitias cumulat, quas sit
relicturus hostibus suis.³⁾

Quid petis, infelix, quid te noctesque diesque
Excrucias? Demens, in tua fata ruis!
Quaeris opes terramque omnem disquiris et aequor,
Ut tibi maiori foenore crescat onus,
5 Sub quo servitio, sub quo cruciere tyranno.
Rodit enim semper vermis avaritiae
Saevior inque dies instat veniente senecta
Urget et extremo mortis in articulo.
Utere quaesitis et amicis laetus egenis
10 Partire. Hoc pacto multiplicabis opes,
Antea confringat quam fila novissima Clotho,
Arbitrio felix ut moriari tuo.
Quippe heres seram locupletis funeris horam
Anxius exspectat fataque tarda dolet.
15 Heredis fletum dicunt sub tegmine risum:
I, cumula, demens, hostibus ista tuis!
Amittes numquam, quae tu donabis amicis:
Quas tibi conservas, alter habebit opes.

12. Ad Michaellem filium suum, quem hortatur ad studia humani-
tatis capessenda in tenera aetate.⁴⁾

Indole tam clara natus, carissime fili, es,
Ut factis iam sit fama probanda tuis,
Ne nomen perdas et fama feratur inanis;
Hoc igitur debes pervigilare magis.

¹⁾ Fol. 7^b, — ²⁾ Fol. 7^b, 8^a. — ³⁾ Fol. 8^b, 9^a. — ⁴⁾ Fol. 9^a, b.

- 5 Te pater et patruus moneant, tibi gloria calcar
Admoveat, stimulos det tibi laudis amor.
Nil duce desperes iuvenis virtute parare,
Sed non cunctandum est; labitur hora celer.
Dum puer es, studiis haec apta est omnibus aetas,
10 Incumbe et stili sit tibi cura prior,
Quem sollers multum scribendo effeceris usu.
Doctrinae interea cura secunda tibi.
Sed pro comperto est, quicquid iuvenilibus annis
Perdisces, tollent tempora nulla tibi.
15 Pravorum ut pestem imprimis commercia vites;
Haec aetas vitiis pronior esse solet.
Rumpe moras, nam vita brevis longissimaque ars est
Et post fata bonis longa futura quies.

13. Contra eos, qui volunt in hac vita requiescere, ut aeterne
laborent in altera.¹⁾

- Quisquis in hac demens quaerit requiescere vita,
Altera plena sibi vita laboris erit.
Currimus hac omnes, capiunt sed praemia pauci;
Non hic desidia est nequitiaeque locus.
5 Segnitiam nobis prohibet certamen et hostis
Saevus et aeternae mortis ubique pavor.
Nos alacres reddat promissi gloria coeli,
Quam deus athletic praemia certa dabit.
Vel poenae aeternae vel dona aeterna dabuntur:
10 Quem vitae istius terreat ergo labor?

14. Contra ambitiosos ostendens vitam tyrannicorum et pro-
cerum esse miserrimam.²⁾

- Si scires, quanto discrimine vita tyranni
Vexetur, dicas tristius esse nihil,
Regna velut pestem fugeres Syllamque cruentum
Laudares, posuit cum sua regna ferox;
5 Magnanimi contra damnare Caesaris arma,
Cum patriae iniecit ferrea vincla suae.
Mille dolis petitur populi procerumque tyrannus:
Quae nox cum somno est, quae sine lite dies?
Inviso regi numquam fuit ulla voluptas
10 Unaque sollicito non vacat hora metu.
Impendere sibi totidem, quibus imperat, hostes
Et sciat esse sibi tela inimica domi.
Quid miserabilius sine amicis ducere vitam?
Hosti communi sed quis amicus erit?
15 Quod petitur multis, magno discrimine habetur.
Pestifera invidia regia nulla caret.
Sis bonus ipse licet, populi si flectis habenas,
Tu tamen invidiae cuspide fossus eris.
Ambitio praeceptis omnique inimica quieti est:
20 Ex hoc nequitiae fonte venena fluunt.

¹⁾ Fol. 9^b. — ²⁾ Fol. 9^b, 10^a.

15. De charitatis laudibus.¹⁾

O charitas dilecta deo, pretiosior auro,
O charitas cunctis anteferenda bonis!
Per te de coelo aeterni sapientia regis
Infusa est utero, virgo Maria, tuo!
5 Humanum per te genus est a morte redemptum,
Per te siderei est ianua aperta celi,
Te sine perfectum nihil est, tu forma bonorum es.
Cui non est caritas, nil habet ille boni.

16. Nihil est auro miserabilius, cuius vitium ad mortem per-
durat semper crescens.²⁾

Heu quanto argentum discrimine quaeris et aurum!
Infelix, laqueos instruis ipse tibi.
Carpit inops securus iter nec tela nec hostes
Latronumque dolos insidiasque timet.
5 Tu vero admotae pallescis harundinis umbram,
Cura vigil noctes te cruciatque dies.
Crescit avara sitis faucesque exsiccatur anhelas,
Quoque magis potat, plura requirit hydrops.
Omne aliud vitium longaeva aetate senescit,
10 Nummorum solus sed iuvenescit amor.

17. Increpat tarditatem hominum ad bene operandum.³⁾

Surge age, quid cessas? Sparguntur tempora canis.
Lux extrema tibi crastina forsitan erit.
Gaudia quid differs vitae meliora beatae?
Dum loqueris, velox labitur hora tibi.
5 Surge age, rumpe moras; brevis atque simillima puncto est
Vita hominis, citior labitur illa Noto.
Mane puer fueris, noctis surgentibus astris
Incipis esse senex, cras moriere miser.
Quotidie morimur, dum transmutamur, et idem
10 Non sumus; in fluvium nemo bis ire potest,
Ut placet Heraclito. Quid enim formidine mortis
Terremur? Nati hac condicione sumus.
Migrandum est alio: tibi sume viatica coelo,
Dum potes, et rebus consule, amice, tuis.

18. De laudibus patientiae.⁴⁾

Unica virtutum longe patientia custos
Fortiter aerumnas nos tolerare iubet.
Armatos hostes patientia vincit inermis,
Haec saxo, haec solido durior est chalybe.
5 Fortis Idumaei tam clarum exemplar athletae est,
